

IN ANNALIBUS BERTINIANIS  
P. R. A. F. A. T. I. O.  
LUDOVICI ANTONII  
MURATORII

DU-CHESNE MONITUM.

**P**Rior pars horum Annalium, ( qui in MS. Codice subjiciuntur Appendici ad Gregorii Turonensis Historiam, & Portiuncula de Gestis Regum Francorum inscribuntur, ) hoc est ab anno Christi DCCXLI. usque ad annum DCCCXIV. eadem ferè est cum Annalibus illis plebejis Rerum Francicarum, qui Tomo II. editi sunt pag. 24. Sequentia verò ab anno DCCCXIV. usque ad DCCCXXX. conveniunt etiam cum iis, quæ in Eginhardi Annalibus habentur eodem Tomo II. Sed res potissimum, quæ ab initio regni Caroli Calvi, usque ad annum DCCCLXXXII. hic referuntur, pauci alii Scriptores attigerunt: uno Aimoini Continuatore excepto, qui aliquot Libri V. Capita, scilicet à XXI. Cap. usque ad XLI. inde desumpsit. Ceterum Annales isti optimi sunt, possuntque appellari BERTINIANI, ac eo nomine opponi Fuldensibus, sive Moguntinis, quorum Auctor Calvo Francorum Regi ad calumniam usque iniquus extitit, utpote qui eos Fulda, seu, ut alii volunt, Moguntia, sub ditone LUDOVICI Regis Germaniæ scripsisse videtur.